

Doc. 2

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 2

[1225 maggio o giugno?]

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie universis doctoribus et scholaribus Bononiensis studii et aliis illuc se conferentibus fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem.

Quoniam diversitas corporum diversitatem sequitur animorum, ideo omnis potestatis regimen imperiale fuit iniunctum, a Domino scilicet constitutum, ne divisum in partes possit in aliquo minorari. Ex hoc itaque sumitur argumentum et preceptum emissum est speciale, ut singuli tanquam precellenti principi sint subiecti; et qui eius statutis resistunt, divine ordinationi apertius contradicunt: nec id equanimiter transeunt, quin pena legitima puniantur.

Hoc autem Bononienses minime attendendo, in multis se nobis non dubitaverunt opponere. Unde illorum excessibus cumulatis et culpa ipsorum crescente sine numero delictorum imperiale bannum causis legitimis incurrerunt. Et profectui studii, quod in civitate nostra Neapolitana ad generale commodum omnium qui studere voluerint et scientiam sitiunt ordinandum et duximus, invidentes, illud quibusdam suis statutis, que illusiones potius dici possunt, de novo destruere et evacuare nituntur. Verum quia parum prodesset bonorum abstinencia, si perversorum remaneret rebellio impunita, ad eorum inhobidientiam ulciscendam, et ut ipsi in sua malitia sint reclusi, hac edictali constitutione sancimus ut nullus qui sit nostri imperii et regni iurisdictioni subiectus, Bononie addiscere audeat vel docere.

Quod si quis post quattuor menses a presentis constitutionis promulgatione contravenire presumpserit, sit ipso iure infamis, ut ad nullos actus legitimos

admittatur, sit intestabilis, ut ex nullius capiat testamento et qualibet ultima voluntate, et eius sententiam tamquam illegitimam precipimus refutari. Et ne doctores et scholares pro delictis ipsorum Bononiensium puniantur, ad nobilem civitatem nostram Neapolitanam, ubi viget studium a nobis cum multa diligentia ordinatum, accedere non postponant in personis et rebus sub nostra tranquillitate et protectione securi, ubi et loci viget amenitas, rerum copia et doctorum societas honorata.